

/ Reverendissime Domine. Non potui respondere litteris Reverendis-
simae D.Vestrae ante hoc tempus, quoniam aegrotavi ad aliquot heb-
domadas. Scripseram, si recte memini, ex nomine summi Pontificis
potuisse dari R.D.N. beneficium curatum, non simplex; ut qui votum
5 paupertatis solemne emiserat, non divitiis abundaret, sed ex labore
suo viveret, cura animarum suscepta. Nunc audio, illum accepisse
beneficium simplex, et praeterea ex Principis liberalitate centum
quingenta florenos annuos. Pertinebit ad Reverendissimam D.Ves-
tram illum admonere, ut memor voti sui solemnis accipiat pro sua
10 sustentatione quod necessarium erit, reliqua in pauperes eroget.
Quod vero attinet ad negotium inchoatum cum Archiepiscopo Bisun-
tino, non oportet expectare sententiam Summi Pontificis, nisi antea
inter se pacifice conveniant Archiepiscopus Bisuntinus, et Episcopus
Basiliensis. Precor Reverendissimae D.Vestrae multam salutem; et
15 gratissimum mihi erit, si Illustrissimum, et Reverendissimum Epis-
copum Basiliensem meo nomine salutaverit. Romae die 20 Maii 1617.